



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

Prologus, siue admonitio ad animam immortificatam, & negligentem in
diuino seruitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

IN NOMINE
PATRIS, ET FILII, ET
SPIRITVS SANCTI,

Amen.

SPECVLVM

ANIMAE,

A. R. P. F.

BARTHOLOMAEO SALV-
TIO, ORDINIS FRATRVM

Minorum de Observantia,

AD LAVDEM ET GLORIAM
ter sanctissimæ TRINITATIS, &
totius cœlestis aulæ, com-
positum.

PROLOGVS.

*Ad animam immortificatam & neg-
ligentem in DEI Omnipotentis
Creatoris & Conditoris
sui seruitio.*

ACIAMVS hominem ad
imaginem & similitudinem Genes. 1.
nostram. Audi Anima neg- *Anima ad*
ligens, & immortificata; *imaginem*
imò penè cœlesti & amantissimo Dei condita.

A 2 Patri

PROLOGVS.

Patri & Creator tuo mortua. Sur-
ge quæ dormis, & vocem dilecti
Patris tui ausculta, ei que cum spon-
sa dic. *Vox dilecti mei pulsantis: en dile-
ctus meus loquitur mihi.*

Cant. 5.

O misera & infœlix Anima, quid
agis? quid moliris? quid cogitas?
cur non conuertis te ad consideran-
dam pulchritudinem in qua condi-
ta, & deformitatem in quam per
peccatum lapsa es? O quàm est in-
signis species & venustas tua natu-
ralis, in qua primum à Deo creata
fuiſti?

Gen. 1.

*Faciamus hominem, hoc est, animam,
ad imaginem & similitudinem nostram:*
aiunt tres S S. Trinitatis personæ:
Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus,
cùm de tua plasmatione tractarent.
Nunquid speciosior esse poteris,
cùm ad imaginem & similitudinem
Dei, cuius pulchritudo est infinita
& ineffabilis efficta sis?

O te ingratham, cui hæc sola con-
sideratio stimuli loco esse deberet,
quo perfectionis semitam inires: be-
nignumq;

*Anima con-
siderans se
ad imagi-*

PROLOGVS.

nignumq; ac amantissimum Patrem ^{nens Dei}
& Deum tuum medullitus dilige- ^{conditam}
res: illiusque amore tota conflagra- ^{esse, amore}
res: & tamen (ô te miseram & cæ- ^{Dei facile}
cam:) tu somno & inertia dedita, ^{succenditur.}
in hac obscura & tenebricosa mun-
di valle iaces, otio torpens, sociata
impuro & fetido corpori tuo, cuius
societas, nisi mores tuos correxeris,
funesta & exitialis tibi futura est.

Audi filia & vide & inclina aurem
tuam: quia concupiuit rex speciem tuam. *Psal. 44.*

Auribus percipe, verba mea: quia
charitas Christi urget me: & quan-
doquidem tuipsius comiseratione
non tangeris, utpote quæ laqueis &
dolis huius mundi innexa & circum-
uenta es: nec dignitatem & excel-
lentiam tuam magnipendis: nec per-
fectionis viam ingredi laboras: nec
imaginem Dei tibi impressam, ac à
te scelerum immanitate deturpatam
& commaculatam reformare: neq;
ad Deum conditorem tuum teneri-
mè te diligentem reuerti studes;
voluntatis Christi est, ut ex nomine
illius te vocem, excitem, stimulem,

A 3 & de

PROLOGVS.

Et de modo, quo quàm citissimè ad eum redire possis, instruam. Quod negotium quamuis humeris meis impar sit, pro illius tamen, & tui pariter amore libens aggrediar.

*Docet me-
thodum in
anima im-
pugnam Dei
reformandi.*

Verum priusquam methodum quo id perfici debeat explicem. Primum stimulis quibusdà ad cursum te perurgebo & extimulabo. Deinde speculum, in quo omnes maculas & deformitates tuas intueri, easque cognitatas abluere & mundare valeas, exhibebo.

*Stimuli aliquot animam ad perfecti-
onis studium excitantes.*

AVDI igitur Anima negligens, quæ profectus tui nullo desiderio teneris, ac perfectionis fastidium floccipendis: sed sufficere tibi, ais, ea quæ ad salutem consequendam necessaria sunt: tredecim te stimulis aggrediar, vt periculum faciam, num ad cursum impellere, atque ad perfectionis semitam ambulandam, te inducere, opinionemq; conceptam tibi euellere possim.

Stimu-